

mam universorum titulorum lucidissimam Dominus Jesus Christus vestram apostolicam constituit sedem; ipsa est enim sacer vertex, in qua omnes vertuntur, sustentantur, relevantur et, sicut in Christo Christiani et in petra id est Christo Petrus renovantur ecclesiae. Secuntur et quam plurima his similia de eadem re in praefata epistola.

Unde et Felix Romanae urbis praesul Athanasii ceterorumque Aegyptiorum quaerimoniis respondens episcoporum¹ sic ait inter cetera: *Primates illi et non alii sunt, qui in predicta Nicaena synodo constituti sunt, reliqui vero, qui metropolitanas tenent sedes, archiepiscopi vocantur et non primates, salva in omnibus apostolicae sedis dignitate, quae ei ab ipso Domino est concessa et postea a sanctis patribus roborata. Et item in eadem: His enim et aliis quamplurimis documentis manifestum est nullum damnari aut suis expoliari rebus debere episcopum, qui hanc sanetam sedem interpellaverit aut sibi defensatricem asciverit, donec judicium de eo nostrae apostolicae auctoritatis, hoc est principis apostolorum Petri, agnoscat, quia solummodo Christus Jesus huic sanctae sedi, id est apostolicae, hoc facere commisit.*

Hinc quoque Damasus papa in epistola, quam Stephano archiepiscopo concilii Mauritaniae et universis Africanae provinciae direxit episcopis², sic inter alia dicit: *Discutere vero episcopos et summas ecclesiasticorum causas negotiorum metropolitanos una cum omnibus suis comprovincialibus, ita ut nemo ex eis desit et omnes in singulorum concordent negotiis licet, sed definire eorum atque ecclesiasticarum summas querelas causarum vel damnare episcopos absque hujus sanctae sedis auctoritate minime licet; quam omnes appellare, si necesse fuerit, et ejus fulciri auxilio oportet. Nam, ut nostis, synodus sine ejus auctoritate fieri non est canonicum nec episcopos nisi in legitima synodo et suo tempore apostolica vocatione congregata definite damnare potest neque ulla umquam concilia rata leguntur, quae non sunt fulta apostolica auctoritate. Et item in eadem: Nam si quid fortasse in eis aut contra eos emerserat, nostrum fuerat expectandum examen, ut semper huic sedi fuit concessum privilium, ut aut nostra condemnarentur auctoritate aut fulcirentur*

¹ p. 484.

² p. 502.

Sitzb. d. phil.-hist. Cl. LXXII. Bd. II. Hft.